

TITULUS II.

DE FORO COMPETENTE. ^a

14. Nota I. Licet hæc duo, *forum et forus*, frequenter in usum confundantur, in rigore ea distingui: nam *forum* in neutro significat locum deputatum ad vendendum et emendum; et ita dicitur *forum horarium, vinarium* etc. *Forus* in masculino significat et jurisdictionem exercentis judicium, et locum exercendarum litium, seu *tribunal auditorium*, et in ecclesiasticis *Consistorium* (c. 10. de V. S.); ubi Isidorus ait: *Forus est exercendarum litium locus, à fundo dictus, sive à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit.*

Nota II. Forum aliud esse *competens*, in quo reus conveniri potest et debet; aliud *incompetens*, in quo reus conveniri nec debet, nec potest. Ceteræ divisiones fori coincidunt cum divisionibus jurisdictionis et iudicii. In eodem sensu iudex dicitur *competens*, vel *incompetens*. Est autem iudex alius *incompetens per se*, cujus tamen jurisdictionis per accidens prorogari potest à partibus, ut vi prorogationis fiat *competens*; alius *omnino incompetentis*, seu *incapax*, cujus jurisdictionis neque à partibus prorogari potest, uti est laicus respectu clericorum, et causarum spiritualium (c. 2., de jud. et c. 2. 12. hoc tit.)

Nota III. Fori competentiam generaliter deduci ex triplici capite:—
1.º *Ex qualitate causæ*, ecclesiasticæ, secularis, mixtæ, feudalis; et de hac competentia dictum est *tit. præced.*—2.º *Ex persona iudicis*, quia is habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam; vel ratione prorogationis, præventionis, appellationis de suo loco.—3.º *Ex persona rei*, ratione domicilii, rei sitæ, contractus, et delicti, qui quatuor sunt ordinarii modi sortiendi forum (c. *fin. h. t.*); item ratione privilegii certis personis concessi, ut in alio foro conveniri nequeant.

His notatis agetur hic:—1.º De foro competente ratione prorogationis et præventionis.—2.º Ratione domicilii, rei sitæ, contractus, et delicti.—3.º De foro privilegiato clericorum, et quorundam laicorum.—4.º Tandem de foro communi Curie Romanæ, et jure revocandi domum.

^a—Agitur de hac materia in Sexto, et Clem. hoc tit.—In Decreto dist. 96. et 3. q. 6. et 6. q. 3. et 11. q. 1. et 21. q. 5.—In Trid. sess. 7. c. 10. sess. 13. c. 6. sess. 23. c. 6. sess. 24. c. 5. et 20. de ref.—In Pandectis lib. 5. tit. 1.—In Codice lib. 3. tit. 13. usque ad 27.

§ I.

De Foro competente in communi, et ratione prorogationis ac præventionis,

15. Q. I. *In quo foro actor convenire debeat reum?*

R. In foro, seu coram iudice ipsius rei. Ità regula generalis in l. *fin. C. ubi in rem, c. 5. 8. h. t.*: *Actor rei forum, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur.* Nam ille iudex est adeundus, qui reum ad iudicium cogere possit; talis autem non est, nisi iudex ipsius rei. Nec obstat l. 5. *diffamari C. de ingen*; nam in hoc iudicio diffamationis, ipse diffamans, seu provocans in iudicium, habetur pro actore, adeoque debet sequi forum diffamati. Porro, actor trahens reum ad iudicem incompetentem, perdit actionem; reus verò cogens actorem, ut se conveniat in foro incompetenti, habetur pro confesso. Denique iudex incompetens ferens et exequens sententiam, punitur capitaliter (l. 5. C. de iurisd. omn. jud.) Hæc tamen pœnæ, præsertim quoad iudicem, hodie non observantur.

16. Q. II. *Quid iuris, si reus citetur ad iudicem incompetentem?*

R. 1.º Si iudex notoriè est incompetens, reus non tenetur comperere, cum non sit ei subjectus; si verò exemptio rei non est manifesta, tenetur comparere, et docere de privilegio suæ exemptionis, cum iudex probabiliter ignorare possit tale privilegium (arg. c. 1. de const. in 6.)—2.º In dubio de competentia iudicis, reus citatus tenetur comparere, et si sub initium opponat exceptionem incompetentiæ fori declinatoriam, iudex de illa cognoscit. Ità Ulp. l. 5. ff. de jud. ibi: *prætoris est enim aestimare, an sua sit iurisdictio, vocati autem non contemnere auctoritatem prætoris.* Ratio primi, quia præsumptio stat pro competentia iudicis, seu personæ publicæ, cui videtur melius constare, an jurisdictionem habeat in tali casu. Secunda pars habetur cit. l. 5. et l. 2. §. 6. eod., et de iudice delegato l. 2. C. si contra jus. Ratio est, quia hic iudex non iudicat in propria causa, cum ex ministerio iudicandi nullam utilitatem habeat. At si quis iudici objiceret defectum circa titulum proprietatis, seu jus jurisdictionis, non posset in hac causa, utpote propria, iudicare.—3.º In dubio, an causa sit iudicis ecclesiastici, vel laici, pronuntiat ecclesiasticus, c. 12. de sent. excomm. in 6.; ubi in casu, an malefactor sit clericus, iudicat ecclesiasticus, tum quia convenit, ut in dubio major et dignior potestas iudicet; tum ne iudex laicus, casu quo causa esset merè ecclesiastica, exponat se periculo nulliter dicendi sententiam; quæ ratio non militat contra ecclesiasticum, cum iste non sit incapax respectu causæ profanæ.

17. Q. III. *Quid sit forum prorogationis, et quibus modis fiat?*

R. Ad 1.º Est illud, dum partes scienter et liberè consentiunt in iudicem non suum, ejusque jurisdictionem extendunt ultra proprios limites; ut si duo Pragenses subijciant se iudicio iudicis Viennensis, (l. 1. 2. pr. ff.

de judic. c. l. 18. ff. de jurisd. c. 40. de off. deleg.) Ut autem prorogatio ista fieri possit, requiritur in persona jurisdictione aliqua, aliàs quod non est prorogari nequit.

R. Ad 2.^m Prorogatio fit 4 modis:—1.^o De persona ad personam, dum non subditi subjiciunt se judici alieno, et hic debet esse ordinarius (l. 1. 2. ff. de jud.)—2.^o De re ad rem, seu de causa ad causam, dum partes judici constituto ad certam causam, submitunt se quoad aliam similem: v. g. de quantitate minori 100, ad quantitatem majorem 200 aureorum, (l. 74. ff. de judic.)—3.^o De tempore ad tempus, dum tempus judici definitum, antequam elapsum sit, partes ulterius prorogant et extendunt (l. 1. pr. ff. de recept. arb.)—4.^o De loco ad locum, dum judex in certo loco ad judicandum constrictus, de consensu partium in alio judicat: si verò translatio fiat ad alienum territorium, requiritur etiam consensus judicis, (arg. l. fin. ff. de jurisd.) Hodie prorogationes istæ rariores sunt, et respectu delegati fieri possunt de tempore ad tempus, de loco ad locum, et probabiliter de quantitate ad quantitatem, non verò de persona ad personam, vel de causa diversa ad diversam (c. 40. de off. deleg.) Prohibentur autem in causa reservata Principi, in criminalibus, feudalibus, et appellationibus, ne præjudicium fiat Reipublicæ, domino, et judici superiori.

18. Q. IV. Qui prorogare possint jurisdictionem judicis non sui?

R. Omnes qui habent legitimam personam standi in judicio, nisi specialiter à jure prohibeantur: nam l. 1. 2. pr. ff. de jud. generaliter permittitur hæc prorogatio. Prohibentur autem:—1.^o Procurator, nisi mandatum speciale habeat, vei constitutus sit cum libera. (c. 4. 5. de procur. in 6.)—2.^o Laici in causis spiritualibus (c. 3. de Paroch.); et Clerici etiam in causis temporalibus, sine consensu proprii Episcopi non possunt in se prorogare jurisdictionem alieni judicis ecclesiastici, etiam Metropolitanæ (c. 18. h. t. et c. 1. eod. in 6.), nè regimen ecclesiasticum confundatur.—3.^o Laici in causis spiritualibus, Clerici autem et Religiosi in quacumque causa, etiam de consensu Episcopi, nequeunt se submittere judici laico (c. 48. h. t. et c. 2. de judic.); nam laicus respectu Clericorum et causarum spiritualium, est omnino incompetens et incapax, quam incapacitatem à jure communi in lege divina fundato inductam tollere nequit Episcopus.—4.^o Regulares exempti non possunt in se prorogare jurisdictionem saltè contentiosam sui ordinarii. Ità com. ex c. 2. de in integr. rest. et c. 5. de arbitr. ibi: Cum etsi spontè volueris: tum quia hac prorogatione lædatur jus, quod per exemptionem quæsitum est sedi Apostolicæ; tum quia Papa est proprius diæcesanus exemptorum; sine hujus autem consensu non licet Clericis alieno diæcesano se submittere. Imò attento rigore juris, exempti neque jurisdictionem voluntariam sui ordinarii possint in se prorogare, v. g. ad absolvendum à censuris etc. peccatis, dispensandum in votis, jejuniis, recitatione horarum Canon. et Hæc Abb. Rodrig. Suar. et alii contra Sanch. Laym. Pirh. etc. Nam in materia generaliter prohibita non intelligitur concessum, nisi specialiter sit expressum (Clem. 1. v. nam ubi de V. S.); sed Episcopis generaliter prohibetur exercere jurisdictionem in exemptos; nullibi verò conceditur talis

prorogatio; ergò. At de æquitate, tacito consensu Papæ et consuetudine, saltè si Prælatus reg. non est præditus tali potestate, possunt exempti se subijcere Episcopo pro absoluteione, dispensatione etc., (arg. reg. 61. in 6.) Hoc et non plus probant argumenta adversariorum.—5.^o Studiosi possunt declinare forum Academicum, et alieno judici se submittere, cum hoc nullo jure scripto prohibeatur, licet consuetudo stet in contrarium in multis locis, quæ observanda erit, ne contemnatur magistratus Academicus, et disciplina scholastica relaxetur.

19. Q. V. Quomodo inducatur forum præventionis?

R. Sola etiam citatione verbali legitime interposita, dum unus judex competens citando præoccupat jurisdictionem alterius in eadem causa competentis; ut in causis mixti fori, et in delegatione plurium, ut singulorum in solidum. Ità com. ex c. 49. h. t.; nam sola citatione in decretum redacta perpetuatur jurisdictione tam ordinarii, quam delegati, (c. 20. de off. deleg.); et per l. 30. ff. de jud.: Ubi acceptum est semel judicium, ibi et finem accipere debet. Unde:—1.^o mutatio domicilii, vel acquisitio fori privilegiati per assumptionem militiam, vel statum clericalem, citatione præventionem non eximit à jurisdictione judicis prævenientis, nisi in superveniens privilegio Princeps aliud exprimat: quo sensu procedit l. 12. pr. ff. si quis caution. Judex tamen laicus eum, qui post citationem factus est Clericus, non condemnabit pœna corporis afflictiva, sed tantum pecuniaria. Ratio est, quia mutatio, vel privilegium superveniens regulariter non obest judicio per citationem radicato (l. 49. ff. de jurisd. l. 7. ff. de jud.)—2.^o Si plures correi ad eundem judicem competentem spectent, citatio unius inducit præventionem fori respectu aliorum, ne contentia causarum dividatur. Secus si alter correat de jurisdictione alterius judicis, ut si clericus delinquat cum laico; tunc enim quisque à suo iudice judicandus est.

§ II.

De foro competente ratione domicilii, rei sitæ, contractus, et delicti.

20. Hic circa domicilium recolenda sunt ea, quæ ad tit. ff. ad munic. tradi solent. Et quidem præsentem:

Nota I. Domicilium in genere esse locum habitationis diuturnæ. Dividitur in commune, quod olim erat Roma, communis omnium civium Romanorum patria, et de hoc ad finem h. t. aliqua dicentur: et particulare seu privatum, quod quisque in certo loco figit.—Hoc est duplex: naturale, seu domicilium originis, in quo quis natus est; et accidentale, seu adscititium, aut habitationis, in quo quis habitat.—Et hoc iterum: vel est domicilium verum, seu simpliciter tale, in quo quis perpetuum incolatum figit; vel

quasi domicilium, in quo quis per notabile tempus moratur, sicut famuli, ancillæ, et studiosi causa studiorum.

Nota II. Domicilium originis acquiri: vel nativitate propria, vel ab origine patris et avi, (ceterorum ascendentium origo non attenditur), vel ab origine matris, si patrem demonstrare non potest (*l. 24. ff. de statu hom.*) Si quis verò parentibus peregrè profectis in via fortuito natus est, tunc tantum fit originarius illius loci, si parentes, priori domicilio dimisso, necdum actu aliud domicilium acquisiverunt; alioquin originem suam debet loco, in quo parentes actu domicilium habent, (*l. 9. ff. de captiv. et l. 1. C. eod.*); qua distinctione explicatur *l. 7. C. de incol. et l. 6. pr. ff. ad municip.* Hodie, quicquid sit de jure scripto, ex generali consuetudine ad sortendum forum non attenditur locus originis, sed habitationis; cui consuetudini favet *c. fin. de Paroch.*, ubi christiani ex variis Palæstinæ civitatibus translati Aconem, hic, et non ibi dicuntur conveniendi. Unde totus nobis sermo de domicilio habitationis.

Nota III. Ad constituendum domicilium verum duo requiri et sufficere, scilicet: *animus* stabiliter seu perpetuo habitandi, nisi aliquid avocet; et *factum* habitationis in tali loco (*l. 20. ff. ad municip.*) Et si hæc duo requisita concurrant pro duplici loco, in utroque contrahetur domicilium et forum (*c. 45. h. t.*), ut si quis stabiliter habitet in uno loco per medium annum, et in altero similiter per medium. Insuper habitatio non solum vera, sed etiam ficta sufficit ratione alicujus conditionis, vel officii: sic Senator acquirit domicilium in ea civitate, in qua Senatoris officium gerit, miles ubi stipendia meret, Religiosus in loco morasterii, uxor in loco mariti, ubicumque alias resideant.

21. Q. I. *An forus domicilii veri sit generalis, concurrens cum omni foro quoad universam jurisdictionem, tam contentiosam quam voluntariam?*

R. Affirmative, ex communiore sententia. Prob. *ex l. fin. Cod. ubi in rem*: ubi forum domicilii vocatur generaliter *forum* his verbis: *actor forum rei, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur*: nam ratione domicilii incola fit absolute subditus judici, semperque talis manet, donec mutet domicilium. Excipitur servus, libertus, uxor, qui conveniendi sunt coram iudice domini, patroni, et mariti (*l. 22. ff. ad municip. lib. 1. C. ubi caus. stat.*), et hæres ex persona defuncti ibi continuare debet iudicium, ubi defunctus illud incepit, (*l. 34. ff. de judic.*) Ex data resolutione:

Sequitur 1.º Reum ratione rei sitæ in alio loco, conveniri etiam posse in foro domicilii. Ita Gloss. in *l. fin. C. ubi in rem*. Abb. et com. contra Gloss. in *c. 3. h. t. P. Friderich, Trentacinque etc.*—Prob. *ex cit. l. fin.*, ubi pro actione reali duplex forum assignatur: generale domicilii in primis verbis: *Actor forum rei etc.*, et speciale rei sitæ in verbis posterioribus: *sed et in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri*. Idem colligitur *ex l. 40. 41. ff. de R. V. l. 1. ff. de reb. auth. jud.* Ratio est, quia actio realis non intentatur in rem nudè sumptam, sed ut relatam ad suum possessorem; sed possessor est absolute subiectus judici domicilii; ergo coram eo conveniri pos-

test. Excipitur hic semper causa feudalis, et iudicium momentaneæ possessionis ob specialem rationem, ne partes ad rixas et ad arma convolent: exemplum est in *l. 14. C. de agricol.*—Nec obstat *c. 3. h. t.*, nam procedit de iudicio speciali secundum consuetudinem Ecclesiæ Africanæ, ubi Primas, seu Archiepiscopus iudices electitios dabat; vel textus iste procedit de congruentia, quia Primas loci majorem notitiam rei habet. Hic etiam opponi solet *cit. l. fin. C. ubi in rem*. ibi: *jubemus, et l. un. C. ubi de posses. l. un. C. ubi fideicom. l. 2. C. de jurisd. l. 38. ff. de jud. l. un. C. ubi de hæred.*; sed hæc jura assignantia forum speciale, non excludunt generale domicilii, ut legenti patet.

Sequitur 2.º Reum ratione contractus, vel constituti de solvendo in certo loco, vel ratione delicti, etiam in foro domicilii conveniri posse, etsi alibi contraxerit, vel deliquerit. (*l. 49. §. fin. ff. de jud. c. 17. h. t. Auth. qua in provincia, C. ubi de crimin. et l. fin. C. de præscr. lon. temp.*)

22. Q. II. *An quis in loco quasi domicilii sortiatur forum?*

R. 1.º Ex generali consuetudine sortitur forum internum et sacramentale, excepto Ordinis sacramento. Unde Legati in loco legationis, studiosi, famuli, et ancillæ, ubi operas suas locant, acquirunt jus Parochiæ; ligantur legibus loci, percipiunt sacramenta, ineunt matrimonia, dispensantur in votis et juramentis, sicut alii parochiani.—2.º Ex actibus, vel delictis in loco quasi domicilii gestis acquiritur forum externum, ut com. docet: imò probabilius ex actu alibi gesto potest quis conveniri in loco, seu foro quasi domicilii: ita Abb. Felin. Reiff. et alii contra Host. Falic. etc. Ita colligitur *ex l. 2. C. ubi de crimin.*, ubi plagiarius dicitur posse conveniri, ubi *degit*, hoc est, ut explicat Glossa, ubi moratur, sicut scholaris in scholis, et *l. 2. C. ubi Senator*. Senatores etiam in suburbanis, ubi est quasi domicilium, respondere tenentur: nam æquum est, ut quasi incolæ, qui legibus loci ligantur, et sortiuntur forum Parochiæ, etiam sortiuntur forum externum ex actibus alibi gestis; maxime, si verum domicilium procul distet.—Nec obstat *l. 7. C. de incolis*, nam licet domicilium verum incolam faciat quoad munera civilia, tamen quoad actus judiciales sufficit, quod quis sit quasi incola.—3.º Vagi, qui actu nullum domicilium, vel quasi domicilium habent, in eo loco sortiuntur forum, in quo reperiuntur; et consequenter ibi conveniri possunt ex quocumque actu, vel delicto alibi facto, juxta illud Abb. (*c. fin. h. t.*): *ubi te invenero, ibi te iudicabo*: nam hoc et æquitas suadet, et ratio boni publici exigit: alioquin vagi facile subterfugere possent omne iudicium.

23. Q. III. *An quis ratione rei sitæ sortiatur forum in alieno territorio, in quo non habitat?*

R. Affirmative, *c. 3. et fin. h. t. l. fin. C. ubi in rem*. Nam talis possessor secundum quid sit subjectus judici talis territorii, scil. *secundum rem sitam* seu constitutam in tali loco, sive sit res immobilis, sive mobilis, in quo jura non distinguunt; ergo reus ratione rei sitæ conveniri potest in alieno territorio, puta actione reali, non personali, quia illa, et non ista rem sequitur, etsi possessor non reperiatur in tali territorio (*lib. 25 ff. de*

O. et A. leg. 49. ff. de jure Fisci, ibi: quoniam res, non persona convenitur); nisi actio personalis esset in rem scripta, cui etiam locus est in territorio rei sitæ, uti est actio quod metus causa, ad exhibendum, quadrupedaria (l. 9. §. fin. ff. quod met. caus.)—2.º In loco rei sitæ institui potest non modo petitorium, sed et possessorium, (l. un. C. ubi de possess. et l. un. C. ubi de hæredit.); tum quia causæ proprietatis et possessionis ita sunt connexæ, ut eidem judici subjiciantur (c. 1. de caus. poss.); tum quia interdicta adipiscendæ et retinendæ, utpote innitentia juri reali, per se realia sunt, aut saltem in rem scripta: interdictum verò unde vi, licet primariò sit personale, utpote innitens delicto, attamen per se tendit ad restitutionem possessionis; adeoque propter faciliorem expeditionem litis rectè intentatur in loco possessionis. Ex his solvuntur l. 2. C. de interd. l. 1. §. 3. ff. eod.—3.º Si res mobilis, non permanenter, sed transeunter est in loco, non fundat forum rei sitæ, quia propriè non dicitur esse sita in tali loco, nisi ex illo furto fuisset sublata. Si autem possessor de fuga suspectus est, res interim sequestranda erit, donec lis finiatur, (l. 7. §. fin. ff. qui satisd.)—4.º Si quis rem alieno nomine possideat, ab actore conventus nominare, seu laudare potest suum auctorem, in quem deinde actio dirigitur; at si nomine suo possideat, non liberat se laudando auctorem, sed tenetur excipere actionem. Auctor verò laudatus, re evicta, ad interesse convenietur in eodem foro (l. 1. 2. C. ubi in rem.), qui casus est specialis, in quo venditor in alieno foro rei sitæ tenetur emptorem defendere (l. 49. ff. de judic.)

24. Q. IV. An quis ratione contractus sortiatur forum in eo loco in quo contraxit?

R. Affirmativè (c. fin. h. t. c. 1. eod. in 6. l. 49. ff. de jud.); tum quia hoc modo melius consultitur creditoribus; tum quia melius constare potest de ipso contractu, ejusque solemnitatibus. Et hoc procedit etiam de Clericis, qui licet non possint expressè prorogare in se jurisdictionem alterius Episcopi (c. 48. h. t.), possunt tamen tacitè ex dispositione juris ratione contractus et delicti (c. 47. eod.) Idem de his, qui habent privilegium, ne conveniantur in certo loco (c. 1. de privil. in 6. et cit. cap. 47.); quia contrahendo, censentur privilegio renuntiassè, nisi privilegium elausum esset in corpore juris, cui, ceu juri communi, non censetur per contractum derogari.—2.º Reus præsens, non verò absens, regulariter conveniri potest in loco contractus, nisi aliter conventum sit (c. 1. h. t. in 6. l. 49. ff. de judic.), quia reus cum suo incommodo non tenetur accedere locum contractus, et multò minus illuc remittendus est; quia non militat eadem ratio, quæ pro remissione ad locum delicti, quod ad exemplum aliorum ibi petit puniri, ubi patratum est.—3.º Peregrini moram trahentes in loco contractus, ut si conducat tabernam etc., rectè ibi conveniuntur, quia tacitè se obligant ad solvendum, vel respondendum. At si sint in transitu, et moram non trahant, regulariter hoc tempore peregrinationis non sunt conveniendi, nisi aliter conveniant, vel suspicio sit de fuga, vel ea sit loci consuetudo, l. 49. §. proinde ff. de judic. ubi ratio additur: quia durissimum foret, quotquot locis quis navigans, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere.—4.º Administratores non tantùm publici, sed etiam privati, ut tutores,

negotiorum et rerum curatores, etiam absentes, conveniri possunt ex quasi contractu in loco administrationis. Ità rubrica, et l. 1. C. de ratiociniis tam publicis, quàm privatis agi oporteat. Ratio est ex l. fin. eod.; quia in loco administrationis instructio sufficiens, et nota testimonia, et verissima possunt documenta præstari. Quæ hic dicta sunt de contractu, proporcionaliter intelligenda sunt de distractu, cit. l. 49. §. proinde ff. de judic. ibi: si conduxit, ibique distraxit, quia contrariorum eadem est ratio.

25. Q. V. Quid iudex possit in reum in loco contractus conventum?

R. 1.º Si reus in loco est, potest illum verbaliter citare; et si contumaciter se absentet, etiam capere et incarcerare; imò si de jure actoris clarè liqueat, non contestata lite, condemnare (cap. final. §. final. ut lite non contest. l. 13. §. 3. Cod. de judic.)—2.º Si reus è loco contractus discessit, iudex illum citare poterit sub comminatione mittendi actorem in possessionem bonorum; si tamen bona illa existant alibi, actor illa non occupabit sine scitu iudicis territorialis (cap. 1. §. 3. contrahentes, hoc tit. in 6.) At si reus nulla bona habeat, non superest aliud remedium, quàm ut actor eum conveniat coràm iudice domicili. —3.º Reo comparente, præparatoria litis ordinantur secundùm stylum fori, in quo fit iudicium; quia ordinatio iudicii sequitur leges tribunalis. At decisoria litis faciendæ sunt secundùm leges loci, in quo contractum est; quia contractus sequitur solemnitates loci, unde etiam testes et alia documenta petenda sunt. Excipitur causa dotis, quam mulier petere debet juxta jura domicili mariti, licet instrumenta dotalia alibi conscripta sint (l. 65 ff. de judic.)

26. Q. VI. An delinquens sortiatur forum in loco delicti?

R. Affirmativè, etsi delinquens sit nobilis, vel miles committens delictum non militare, vel clericus, vel privilegiatus; modò casus delicti non sit expressus in privilegio, (cap. 14. et fin. h. t. c. 1. de privil. in 6. l. 1. et auth. qua in provincia, C. ubi de crimin.) Nam expedit delicta ibi puniri, ubi patrata sunt. Quòd si Clericus commisit delictum dignum privatione beneficii, sententia fertur à iudice delicti, executio autem fit à iudice beneficii, putà utrobique ecclesiastico, (c. 14. h. t.) Circa Episcopos servanda est constitutio Trid., sess. 13. c. 8 de reform., ubi majora eorum delicta reservantur iudicio Apostolico.—Deliquens extra delicti vel domicili locum regulariter, saltèm de jure Canon. scripto, non sortitur alibi forum, ut in loco, in quo deprehenditur, vel reperitur. Ità Clar. Gomez, Covar. et alii contra Bartol. Wesemb. Schmier etc.; nam. c. fin. h. t. et cap. 1. de privil. in 6. et alibi, nulla fit mentio de foro deprehensionis aut inventionis. Similiter in auth. qua in provincia, C. ubi de crimin. nihil statuitur circa forum deprehensionis. Ratio est: tum quia aliud territorium per delictum rei non est offensum: tum quia ratione rei sitæ et contractus, reus non potest præterea alibi, quàm in loco domicili iudicari; ergò. Excipe, nisi consuetudo vel conventio magistratuum aliud habeat; aut reus in loco, in quo deprehenditur, compleat, vel continuet delictum sicut hæreticus ubicumque est, hæresi sua peccat; vel nisi delinquens sit vagus, de quo dicitur: ubi te invenero, ibi te iudicabo.—Nec obstat l. 1. Cod. de crim. ibi. vel ubi reperiuntur, nam his verbis significatur

forum domicilii; secus verba ista generaliter accepta restringi debent ad vagos. *L. 3. ff. de off. praesid.* procedit de hominibus malis, si quid manu commiserint, seu deliquerint in provincia.

27. Q. VII. *Quid juris, si delictum concernat duplex territorium?*

R. Cum distinctione:—1.º Ubi quis vulnus lethale inflixit, ibi sortitur forum, etsi vulneratus fugiens in alio territorio decesserit: nam ibi homicidium fit, ubi ponitur causa efficax necis (*arg. l. 21. §. 2. ff. ad L. Aquil.*)—2.º Si occisus reperiatur jacens in confinio duorum territoriorum, et dubitatur in quo vulnus lethale acceperit, reus sortitur forum in utroque territorio; ita ut inter iudices locus sit praeventioni, *arg. l. 19. ff. commun. divid.*, ubi arbor in utriusque vicini fundo enata, dicitur pertinere ad utrumque dominum. Nam meriti delictum ex loco, ubi caput, vel pedes, vel cor jacet, vel ubi homicida stetit, est prorsus incertum.—3.º Qui stans in territorio A, v. g. explodendo scelopum, occidit alterum in territorio B, probabilius sortitur forum in utroque (*l. 1. C. ubi de crim.*), ubi loquutio est alternativa: *questiones criminum perfici, ubi commissa vel inchoata sunt.* Econtra, qui mandavit homicidium in territorio A, perficiendum in territorio B, regulariter sortitur forum in loco executionis, licet Farinaccius dicat forum contrahi in utroque loco: nam in priori casu unicus est actus explosionis et homicidii; in hoc autem posteriori casu sunt duo diversi actus; scil. mandatum, et ejus executio. Solum autem mandatum sine effectu non punitur poena ordinaria, v. g. homicidii, nisi in gravissimis delictis laesae majestatis, assassinii etc., et tunc mandans, et mandatarius sortitur forum in utroque loco.

28. Q. VIII. *Quid iudex possit in reum ratione delicti conventum?*

R. 1.º Si reus existit in loco delicti, potest illum punire poena corporali, vel pecuniaria secundum statuta loci, licet in eo loco, ubi reus habet domicilium, alia poena statuta sit tali delicto, (*l. 1. C. ubi de crim. c. 14. h. t.*); nam voluntarie delinquendo, reus ipso facto se submittit poenae legibus territorii taxatae.—2.º Si reus fugit, non potest iudex eum persequi in alieno territorio, ex reg. generali, (*c. fin. de const. in 6 et l. fin. ff. de jurisd.*): extra territorium jus dicenti impune non paretur, nisi esset publicus latro aut grassator, per Const. Imperat. §. 22. Augustae editam an. 1559. Si autem eum citatione praeventit ante fugam, iterum eum citare, et contra contumacem usque ad sententiam definitivam procedere potest, decernendo missionem in bona, vel poenam banni, aut excommunicationis (*c. 19. h. t. l. 1. C. de requir. reis.*); nam per citationem factus est subditus illi iudici. At si citatione eum non praeventit, vocare eum potest edictaliter: et quamvis in personam contumacis procedere nequeat, quia per egressum desiit esse subditus, potest tamen ejus bona adnotare; et si aliter satisfacere nolit, decernere missionem in illa, requirendo iudicem alterius territorii, ut eam admittat. (*Clem. 2 de sentent. et re judic. c. 1. §. contra-hentes h. t. in 6.*) Remissio delinquentium hodie raro fit ad locum delicti, nisi iudex inferior in tali delicto judicare nequeat, (*l. 1. 7. C. de defensor. civit.*) Potest tamen remissio ista peti per litteras *requisitorias*, seu *pre-catorias*; et si petitioni annuitur, dandae sunt litterae *reversales*, quod re-

missio haec non sit futura in praeventum remittentis, et quod iudex requirens in simili idem facturus sit.

§. III.

De foro privilegiato Clericorum.

29. Q. I. *An, et quo jure Clerici habeant privilegium fori, quo eximuntur à jurisdictione laicorum?*

R. Ad 1.ºm Affirmative, cum catholicis contra heterodoxos, ut patebit ex dicendis. Circa secundum tres sunt sententiae. Prima docet hanc exemptionem esse tantum juris positivi humani: ita Covar. Cævall. Molin, etc. Secunda docet esse juris divini initiative et originaliter, formaliter autem juris humani: ita Lessius, Wiestner, Schmalz. quorum sententia parum differt à priori. Tertia docet esse formaliter juris divini, et naturalis saltem in thesi, seu genere, licet determinatio illius quoad particulares circumstantias et personas dependeat à Vicario Christi: ita Abb. Clar. Engl. Laym. Reiff. et plurimi alii TT. ac Canonistae, cum quorum veriori sententia:

R. Ad 2.ºm Forum Clericale non solum est juris humani, sed etiam divini et naturalis.

Prob. 1.ª pars, ex jure civ. auth. statuimus C. de Episc. et Cler. ubi ex Const. Friderici Imp. haec referuntur: Statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili trahere ad iudicium saeculare praesumat, etc. Et *auth. cassa C. de SS. Eccl. idem Imp. dicit, cassa et irritata esse statuta contra immunitatem Ecclesiae, ejusque personas. Idem prob. ex jure Canon. dist. 96 ferè per tot. cap. 8 de judic. c. 12. h. t. et alibi passim.*

Quamvis Conc. Trid. (*sess. 23. c. 6 de ref.*) noluerit Clericum in minoribus constitutum nullum possidentem ecclesiasticum beneficium, gaudere privilegio fori, nisi praeter delationem habitus et tonsurae, inserviat alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi, haec tamen conditio adeo levis visa est Cong. Conc., ut hujusmodi duntaxat defectus non satis sit ad illum spoliandum hoc privilegio; ut constat ex sequentibus responsis ejusdem Cong. relatis à Bened. XIV. (*lib. XII de Synod. Dicec. c. 6. n. 5. In Senogallien. 23. Jan. 1603*) «Sacra.... censuit, oratorem, Clericalem habitum et tonsuram deferentem, quamvis alteri Ecclesiae, quam illi cui ex mandato Episcopi ad inserviendum adscriptus fuit, inserviat, nihilominus privilegio fori gaudere.» Et in *Neapolitana (1 Februarii 1614.)* cum eadem Congreg. fuisset consultata:—«An Clericus in minoribus ordinibus constitutus, Clericalem habitum et tonsuram deferens, atque Ecclesiae inserviens, gaudeat privilegio fori, si alicui Ecclesiae ab Episcopo adscriptus non sit»—respondit: *Gaudere.*